

rentur cum plausu, ipse rejiceretur, Satyrus mimus consolatus jussit quædam Euripidis, et Sophoclis carmina memoriter ediscere, ac pronuntiare. Quæ ubi recitavit Demosthenes, eadem repetiit Satyrus ac tam decenti cultu, et actione dixit eos versus, ut Demosthenes esse alios putaret. Hinc didicit, quanta sit vis atque dignitas actoris. Hinc enatum ejus studium, ut in cella subterranea vocem, et actionem secum conformaret, sæpe duos tresve menses illic latens: quin, et caput rasit dimidium, ut pudor ei necessitatem manendi imponeret. Idem in DEMOSTH.

Piscatus hominum rarus.

Marcus Brutus in Lycera cives urbis Xanthis omnem humanitatis ejus obstinate respuentes, et se dedere nolentes, oppugnabat. Annis urbem preterfluebat: hunc sub aqua cibus tranantes fugam copiebant, sed excepti retibus fuerunt transverso alveo in altum demissis, quorum in summo tintinnabula appensa illico irretitos probebant. Idem in DARTO.

Magicus conatus elusus.

In Leodiensi ditone oppido Hugo, vel, ut alii, Dinanto noctu ad diversorum duo venire, qui ad caminum mortuo abscissam manum, clam ancilla, quæ sola vigilabat, observante, accederunt in digitorum summitate, qui omnes arsere, excepto uno, quem accendere nullo modo potuerit. Suspiciati unum in domo vigilare, egressique domo, socios vocant. Puella interim conata familiares excitare non potuit; fures per fenestram irrupentes e scalis deturbat, aliunde irrumperentes volentes impedit, dum luminis memor, id flatu extinguit. Ita omnibus exsuscitatis fures fugantur, qui post aliquot dies capti, faciinus confessi sunt. DELRIO. lib. III. *disquis.* q. 2.

Tragicus concionatoris luxuriosi exitus.

In Hispaniæ celebri urbe concionator magni nominis, et Religiosus viri nobiliss uxorem ad flagitium sollicitat; illa casta renuit, indicat marito: qui subornata fabula, jubet eam si-

mulare assensum: ipse cum suis in conclavi alio armatus lenonem expectat; adest vocatus a muliere; quæ a presento iterum sollicitata, scelus recusat. Ille (ut erat armatus pugione et gladio habitu seculari) minatur. Illa exclamat, sed nemo audit. Ergo sola unguibus, et dentibus pugnat, ac faciem deformat. Alter gladium ante deposuit, dorso adhuc pugionem habuit; hunc arreptum mulier in tergum societas demergit, et cum occidit, cadaver in plateas eiecit, prius ad conclave currens, maritum et omnes reperit sopitos. Suspiciata igitur maleficium fuit. Interea circitores nocturni in cadaver incidunt, cum pugione et gladio abjectum, ferunt ad carcerem, facie lota vix tandem agnoscunt, eum esse concionatorem. Prætor silentio suis imperato, ad Monasterium pergit, ac omnes cum Priori adesse jubet, habere, quæ velit omnes scire. Adsunt omnes excepto uno, et hunc jubet accersiri; eo non reperito, et clauso ejus cubilis ostio, tandem vi operiunt; et ibi in camino vident faciem ardentem, obscura luce. Mirantibus omnibus Prætor rem omnem narrat. Dum cadaver effertur ad sepulturam, adest vir nobiliss et uxor, recentemque quid acciderit. Conferuntur temporum momenta: reperitur evigilasse momento, quo fax extincta est. Ibidem.

Legatum impium punitum.

Colonellus quidam in bello Mantuano 163. post plurimam collectam prædam mortuus est, prius condito testamento, ut exequias quam sumptuosissime sibi facerent; reliquum omne mox a funere ceteri regionis illius ministri lasciviendo et luxuriando abligurirent; nec finem prius facerent, quam omnia absumpsissent. Exsecuti sunt impigre defuncti ducis commilitones, cumque nocte quadam vino et luxu maderent, ortus subito strepitus est, quasi innumere per gradus catenæ traherentur, donec ad corporantium conclave turba et horror pervenit. Cohorruere omnes, præsertim, ubi sponte janua reserata ingentem ante fores conclavis ignem, et inter ignis flammam quemque sibi ipsi exhibuit. Ex quo pavore turbatus conventus, alii paucis post diebus mortui, alii post menses aliquot, ita tamen, ut omnes intra anni unius (nisi fallor) spatium abierint, uno excepto, qui adhuc vivit tragediæ oculatus testis, narratque ipse palam. Idem. H. c. v.

Curiositas graviter castigata.

Quidam, ut motum mirabilem Martis agnovisset, Diabolo se devovit, si eo deferretur, ubi rem prope posset inspicere. Dum his cogitationibus intentus in cubiculo sedet, a spiritu quodam arreptus cubiculi tholo alliditur, ac ter quaterve circumactus, in terram cum impetu deturbatur, his additis verbis: Sic est motus Martis. Idem. l. II. p. IV. c. XVIII. §. 3.

Borba pro scapulari agnita.

Urbano VIII. Pontifici vir quidam Helvetus, peregre Roman profectus, post peractam visitationem sacrarum aedium, fuit ad osculum pedum ejusdem Pontificis admissus. Is habuit tam longam ac latam barbam rufi coloris, ut totum pectus ac genua tegetet: adeo ut Pontifex, dum cum alloquitur, paternitatis titulo ceu Monachum sit allocutus, ratus, se non barbam, sed scapulare Monachorum videre, ut ipsemet postea errore m fassus est. ATHANASI. KIRCHEZ. c. XXIII. §. 2.

Ultio feminea crudelis.

Jeraicæ, urbe Siciliae prope Catenam, cives duo in foro, verbis se, dein pugionibus in rixa læcesebant; ubi unus lethali vulnere accepto humi corruit, alter evadere fuga nitetur. Sed uxor saucii re intellecta accurrit, et arrepto mariti pugione fugientem consecuta, confodit, pectus aperit, cor extrahit, et marito jam animam exhalanti ostendit, hortata, ut letus moreretur, quod non inultus obiret. Ibid. c. XXXII. §. 4.

Fur astu cæci elusus.

Antonius Panormitanus de rebus gestis Alphonsi Regis l. III. « Audivimus, ait, a Rege Alphonso, cæcum natura Agrigentis adhuc vivere, quem sæpe ducent venationis habuit, monstrantem oculatis ferarum latebras. Is aureos quingentos in agro defodit a vicino compatre visus; et clam eo auro spoliatus est. Revivens cæcus thesaurum, cum

non invenisset, furem conjiciens, hominem adit, ait, se mille aureos habere, de his quingentos se jam defodisse, de reliquo auxilium esse: si consultum judicet, velle se eodem loco etiam reliquum defodere. Alter annuit ratus, ita se prædam totam nacturum, sed ne reprehenderetur, festinavit ablatos quingentos aureos restituisse veteri loco, auferendos denno cum reliquo auctuario, et cæcus reversus suos quingentos abstulit, et lusit. Ibid. c. XXXIII. §. 2.

Nasus pro oculo usurpatus.

Henricus Smetius testatur, vidisse cæcum, naso pro oculo utentem. Is dextro oculo adhuc puer privatus, tandem juvenis (rusticus erat) e cerato in palum acutum delapsus vulnum impigit, ut nasum una cum oculo sinistro, gena, palpebra utraque et supercilium dirumperet, adeo fæde, ut chirurgus oculi globum avulsam prorsus crederet, eumque palo hæsisse. Cicatrice tandem obducta post annum, dum in gramine apriatur, forte lucem ac flores caput per nasi cavitatem animadvertere: et jam per quinque vel sex annos continuos ita visionem exerceat, ut omnia videat, despectando, suspicando autem ferre lucem nequit.

Organædus mirabilis.

P. Georgius Stengelius lib. de monstris c. XXVI. §. 9. refert, se anno 1628. vidisse Ingotstadii in coavietu virum quemdam medicis stature, manibus et brachiis carentem: qui in mensam insiliens, excussis calcibus, digitis pedum organum scissimè pulsabat. Si folles attollens negligentior fuisset, plano pede excussam alampam et dabat; scite panem et cibos aliaque scindebat; vinum uno, altero pede cantharum tenens sibi infundebat; chartis dein cum sociis lusit; elegantè scripsit, acum filo inducit, citius sartore et sutore. GEORG. STENG. l. VI.

Fringilla se voce articulata ad cantum animans.

Deusingius in differt. de ratione et loquela brutorum n. 68. testatur, vidisse fringillam

(*Finek*) quæ quoties ad cantum se componebat, aliquoties prius hæc verba præmisit: *mascule; ac dein cantum auspiciat fuisse. Apud Scottum l. II. c. XIX. assert. 4.*

Canis mensæ structor.

P. Athanasio Kircher Romæ Princeps Gallicanus spectaculum canis exhibuit; cum Pater ad eum inviseret, hunc herus jussit hospiti mensam apparare. Acurrit mox canis, a domino clavem petit, stringit dentibus, reserat oculos scriniolum, deponit mantile, mappulas, orbes, cultros, cochlearia et alia, sternit mensam, distribuit orbes cum mappulis cultrisque, et fructus afferendos, mandata nova capturus hero se sistit; jubet prius exhibita hospiti reverentia saltare, saltat: objurgatur, tristatur, et velut exanimis corruit, manetque immotus, nec clamoribus, nec verberibus excitatur; tandem jussus surgere, blanditur, et fabulam finit. Idem l. VIII. c. XIX. §. 4.

Equus astu impetratus.

Petro Gregorio Tolosano teste, Episcopus quidam equum habebat generosum, et sibi charum; hunc ut Episcopi frater donare nolle, quem equitabat frequenter, et dum calcearibus urgeret, dicebat: *Deus in adiutorium meum intende*, et simul calcaria valde infugebat, ut equus territus crebro saltu se attolleret. Ubi igitur dein Episcopus in via cum sacellano suo matutinas preces recitat, et illa verba: *Deus in adiutorium, etc.* dicit; equus ad ea verba calcaria timens Episcopi, homo militaris, ab eo equum, ut Episcopo parum contentem, hoc astu extorsit. Idem l. VIII. c. XXXIV. §. 3.

Mira leonis in ursum ulgio.

In Pangæo Thraciæ monte eudemus ait (referente Æliano l. III. c. XXI.) ursam leonum catulos interemisit; eam injuriam ut parentes catulorum ulciscerentur, cum ursam in arborem conscendisset, læana arbori assidet, leo vero fabrum forte ligna in sylva cædentem,

præ metu leonis passus erat sibi securim excidere, blanditiis induxit, ut se sequeretur, securim ipse leo ore tulit. Ad arborem venientem fabrum etiam læana invitabat ad arborem succidendam, quod ubi fecit, delapsus cum arbore ursum laceravit, et fabrum involatam ad veterem locum reduxerunt. Ibid. c. LV. §. 9.

Imprecatio filio fatalis.

Pompilius seu Populus Poloniae Rex dicere consueverat: Ut me mures devorent! Is filium habuit, Pompilium secundum dictum, qui relictus post patris obitum in ætate puerili, patris interea regnum administrantibus, adultus uxorem duxit. Tunc eum convivia celebrantem, et ebrium mures invadunt de cadaveribus patrum, quos ipse et uxor ejus veneno peremerant, ingenti magnitudine egressi, et in Regem ac conjugem filiosque insilunt, mortificantes, frustra militibus abigere conantibus: durant diu noctuque, exstruuntur ardentis focis, et in medio eorum Rex cum Regina et filiis locantur. Sed mures per medias flammam penetrantes, illos parricidas rodere non cessant. Dein cum navi in stagnum veherentur, mures insecti naves rodebant et reos illos, ut aqua perforatis rimis submersionem veriti, in littus navem eduxere: ubi alia cetera murium occurrens juncta prioribus, eos acris infestabat. His visis defensores divinam ultionem agnoscentes, omnes fugerunt. Rex protectoribus nudatus recepit se in turrim altiore in Grusuvicza, ubi mures raptim ascendentes, duos filios, uxorem, et facinosum Pompilium consumperunt, ac devorare. *NIEREM. hist. nat. l. VI. c. X.*

Anseres furem prodentes.

Anno 1628, quidam Nigrita in Lybia noctu furatus imaginem Pueri Jesu, cum jam prodiret cum illa, obvium habuit anserum gregem. Hi impetum in furem facientes, morsibus eum detinent, pars avolvit ad Corsobii campam, quam quidam pulsantes, quidam vero horrendè graeciantes excitant incolas, qui furem deprehenderunt. *ib. c. cxi.*

Annales vivi.

Cum P. Didaeus de Torres Prolo Roma Procurator Peruani rediret ad Provinciam, fundaturus Provinciam Quito, forte in quadrio vidit Indum, qui ad tympani sonum solus stabat, cantans lingua sua Chinensi res varias. Rogat Pater ab aliquo adstante, quid sibi hic homo velit? Qui respondit, hunc Indum curam habere Archivi, et ut memoria retineret res a diluvio gestas, debere ex officio quovis die festo ad tympani sonum ea repetere canendo, et id nunc eum facere. Atque ut hæc memoria nunquam aboleatur, eidem incumbere, alios docere, qui ei mortuo in illo munere suo succedant. Et nunc quidem canenti argumentum hoc fuit: Tali anno venisse hominem album, Thomam nomine, qui mira patravit, et prædicavit legem, que eum tempore dequo desit. *Ibid. l. III. c. IV.*

Sigillata subditi opulentia.

Ferdinandus Rex Neapolis invitatus a viro nobili, cujus fides Regi suspecta erat, cum apud eum tantam opulentiam videret supellectis, uni suorum dixit: Hic habet multa mobilia, sed timeo, ne habeat pauca stabilia. *EMM. thesaur. in Connoel. c. VII.*

Varia litterarum S. P. Q. R. interpretatio.

Illud Romanum insigne S. P. Q. R. varie, et argute nunc amici, nunc hostes sunt interpretati. Sibylla traxit inde præsigium; Romam fore olim caput Ecclesiæ, sic interpretans: *Serva populorum quem redemisti.* Bæda præsigit inde Gothorum stragem, imperium Romanum affectantium: *Stultus populus querit Romam.* Heretici nostritemporis contra Pontificem sic explicarunt: *Sublato Papa quietum regnum.* Contra Catholici pro Pontifice exposuere: *Salus Pape, quis Roma.* *Ibidem.*

Amicus ante uxorem, et liberis servatus.

Abauchas in Borysthenensium civitatem

applicuit, secum adducens uxorem, quam unice diligebat, et liberos duos, masculum lactentem, et puellam septennem. Comes erat itineris Gydanæ, atque is ex vulnere laborans, quod in via acceperat a latronibus. Noctu dormientibus orto incendio, flamma totam domum circumdedit. Ibi expectatus Abauchas, relictis liberis plorantibus, repulsa uxore, que inherebat, jussaque, ut se ipsa servaret, amico in humeros sublato descendit, et perumpens evasit illæsus cum amico. Uxor semiusta cum liberis evasit, puella prope extincta. Abauchas dein cum probro daretur, quod desertis liberis atque uxore Gydanæ extulisset, eis respondit; liberos denuo parere haud difficile, et incertum, dum hi boni futuri sint. At diu perquirendum, dum amicum inveniam, qualis est Gydanæ, cujus amor mihi multis argumentis est exploratus. *LUCIANUS in Tozari.*

Gloria quomodo paranda.

Harmonides apud Lucianum rogavit Timotheum Magistrum suum, ut in arte, quam ab ipso didicerat (sed erat tibicen) posset clarus, et celebris evadere; cui Timotheus respondit, eum multitudine, coram qua lusus esset, gloriam consecuturum. « Ut autem innotescas, inquit, arte tua, et in theatris quidem nonnunquam, parum tamen tibi cure sit promiscua vulgi multitudo; compendiarie, facillima ad parandam gloriam via est, si collectis Græciæ optimatibus, et paucis illorum, qui dignitate præcellunt, artis tuæ egregium specimen exhibueris, illique laudis suæ testimonio te honestarint; tunc omnibus Græcis illico te innotuisse, et passim inelaruisse, putato. » *LUCIAN. to. II. in Harmonide.*

Nemo sine luctu.

Demonax quemdam filii sui mortem immodice lugentem accessit magum se professus, ac filium se ab inferis reducturum, si tantum tres homine nominare, quos nunquam ullius obitum luxisse sciret. Cum ergo diu multumque hæsitaret, nec unum talem posset producere, ait tandem Demonax: « Ergo te solum in toleranda mala perferre putes, cum luctus expertem neminem videas? » *LUCIAN. ver. hist. l. II.*

Paupertas regia ingeniose sublata.

Henricus III. Hispanie Rex, cum ex aucto coturnicium domum reverteretur aliquando, domi nihil pro se paratum vidit; rogatus causam, œconomus respondet, regis vectigalibus absumptis, etiam fidem esse absumptam. Miratus Rex, arietinas carnes pallio oppignorato emi continuo mandat, quibus, et coturnicibus, quas cœperat, prandium parat. Sero diecum Procerum præcipuos apud Archiepiscopum Toletanum cœnare intellexisset, ipse Rex nocte textus, et pallio obvolutus, secreto illic tendit: ubi omnia deliciis disfluere vidit. Remotis mensis, varii inter Proceres sermones habiti, quantum quisque copiarum sub se haberet, quantum ex regis vectigalibus perciperet. Rex indignatus, postera die valetudine simulata, Proceres ad se evocat singulos. Sub meridiem ferro tectus, districtoque gladio ingreditur in magnum conclave, ubi rei eventum suspensus animis expectabat. Assurgunt illi, Rex assidet, truci vultu Toletanum rogat, quot Reges antea nosset? Idem ex aliis quaerit; aliis tres, quibusdam quatuor, aliis quinque respondentibus, Rex omnes ait mentiri, cum hac sua ætate minimum viginti Reges in Castella regnent. Mirantibus dicti causam, « Vos inquit, omnes Regis estis, magna Reipublicæ calamitate, et nostri Nominis ignominia. Sed ne diutius imperetis, neque Regem ludibrio habeatis, vestris capitibus continuo sanciam; » simul magna voce lectores evocat, militesque sexcentos, quos arcano paratos habebat. Procumbentibus tamen, ac veniam petentibus, dedit quidem, sed non ante, quam regis arcibus traditis omnibus, aurique pondere presentato, quod erat 150 millionum Maravediorum, quod occupatis regis vectigalibus debebatur. FORSTNER. *ad lib.* XVI. cap. in. *ex Mariana de rebus Hisp.*

Subditi Regum suorum simia.

Galli omnes sine cincinnis mox comparuere, ubi Rex Franciscus saucius in capite, coactus est illos deponere. Idem fecere Hispani, quando Carolo V. in morbo Barcinone capilli exciderunt. Cum Dionysius Siculus cœcilitate capiti, omnes Siculi cæcilitatem affectabant,

studio lancibus in mensa aberrantes. Egyptii juxta Diodor. l. III. c. I. soliti sunt sibi oculum eruere, aut pedem vitare, quoties Rex aut luscus, aut claudus esset. Joannes III. Rex Lusitaniae vino abstinnit, et ecce mox tota Lusitania vino abstinnit, et Regis exemplo facta est abstemia. Josina Rex Scotiae chirurgis, et medicis erat amicus; illico non fuit Baro Comes, qui non sua manu voluit sanguinem mittere, aut scarificare, ac plagas sua manu curare. Rege Tanquinensi aliquando aratrum ducente, nemo non agros coluit. JUGLAR. *in esrit.* I. §. 6. et 10.

Vindictæ dulcedo.

Theophilus Imperator plecti capite jussit Theophobum sororis suæ maritum, Persam: et cum esset ipse in extremis, ad quamdam refocillationem jussit ad lectum sibi afferri caput ejus, quod amplexus suspiravit: « Ne tu, ait, Theophobus amplius, nec ego Theophilus ero, » et expiravit. Idem ver. I. §. 3.

Tributa remissa Regem et populum ditant.

Bela Rex Hungariæ, cum adisset regnum penitus exhaustum ob onera eis imposita, aliquot annis extraordinaria eis tributa remisit. Unde adeo ditati sunt etiam cives, ut Rex fuerit inde cuivis hosti formidabilis. Idem ver. 16. §. 3.

Pauperes canes venatici.

B. Amadeus, Sabaudia Dux, legatis Mediolanensibus percontantibus, quam bene instructis canibus venaticis esset, mane quodam omnis sexus, et ætatis pauperes ostendit, quibus ad mensam præcipui ministrorum serviebant: « Et hi sunt, inquit, canes venatici, et vertagi mei. » Idem ver. 17. §. 2.

Consiliarii pauci boni.

Cathalaris consultum censentibus, si Regi Alphonso adhuc adolescentulo septem viri ad gubernandam rempublicam adjungerentur, qui Deum timerent, qui justitiam colerent,

aviditatibus suis imperarent, neque muneribus tangerentur, Alphonso consilium laudavit, « Ac si unicum tantum dederitis, non dico septem, continuo illi regimen, et regnum ipsum concessero. » ENNER. I. II. c. XVIII. n. 1.

Crudelitas inaudita.

Actiolinus Patavinus, Tyrannus in singulis suæ ditionis urbibus, ac oppidis, terribissimos carceres struxit, in quos injutorum agmina retrusit; putrescentium cadaverum inibi foetore vivos enecabat. Vivi homines in frusta cultris lanionum secebantur. Capitale fuit tortori, maturare mortem aut supplicia. Lutigenis suorum interitum oculos eruit; fugere parantibus pedem amputavit; alienam miseriam querentibus linguam præcidit; marces castravit, aut monoculos, aut unipedes, aut unimanos fecit. Supra triginta millia omnis generis, et sexus hominum occidit. Idem. c. XXV. n. 1.

Aliud exemplum.

Perventus est fama et opinio ab omnibus recepta, nullum tyrannidem crudelius Phalaride exeruisse; quippe exquisitissimis non contentus suppliciis, æneo usus est tauro, cui miseri mortales inclusi mugitus edere viderentur; cum medio cruciatu ingemiscerent, in quo illud primus crudeliter fecit, quod tam monstrose machine artificem omnium primum invento affecit supplicio. SÆB. I. VIII.

Aliud exemplum.

Blodus Moldaviæ principatum adeptus, suspectos conjurationis cum universa familia palis infixit. Patibula, et pali locum septemdecim stadiorum in longitudine, septem in latitudine occupabant. *Ibid.* n. 2.

Conradini Tragœdia.

Conradinus imperatoria, et Regia stirpe juvenis, ultimus Ducum Sueviæ fuit. Pater ei Conradus Rex Neapolis, et Siciliae fuit; mater e Ducibus Bavarie; avus Fridericus

II. Imperator; avia Constantia, filia Ferdinandi Hispanie Regis. Sed statim a puero regna Neapolitanum, et Siculum, jure debita, Manfredus patruus jure invasit, vi tenuit. Cum ille abisset, aut pulsus esset, auctoritate Pontificis (Clemens IV. tunc erat Gallici sanguinis, et gentis fautor) Carolus Andegavensis advocatus invasit. Quem Conradinus dum pellere nititur, copias contrahit, e Germania in Italiam venit, multa nobilium manu. Inter eos Fridericus erat Dux Austriae cognatus ejus, pugnat cum Carolo: Conradinus initio victor, dein vincitur, et fugit cum Friderico Austriaco per ignotam Italiam trepidi, agasonum habitu se occultantes. Ita Asturam ventum, ubi consilium captium navis conscendende, et Diras dirigende, sociam, et fidelem urbem. Conveniunt cum navigatore, jam in navi erant; sed panis, et commeatus deerat. Mittitur ipse nauta, ut comparet, et quia pecunia deficit, annulum e digito detrahit rara gemma ornatum Conradinus. Auriflex miratus, eum sibi a sordido homine deferri, ad Dynastam rem, et annulum defert, qui tunc e gente Frangipannum urbi præerat. Qui suspicatus id, quod erat, juvenes jubet ad se duci; comparent, et sive avaritia, sive pravitate Dynastæ, Carolo produntur. Qui statim cum copiis terra marique advolat, et captivos Neapolim ducit. Concluditur tollendus eos e medio, plectuntur in publico foro. Conradinus animose loquitur, Carolum excusans, se accusat, Deum invocem invocet, et jus suum in hæc regna Henrico Castellano amittæ suæ filio donat. Hujus rei tesseram chirothecam exiit, et abiecit. Tum Fridericus geniculare jubetur, et caput inciditur, quod sublatum e tabulato Conradinus pectori adpressum, deinde ori applicuit, et sortem ejus miseram deflevit, cujus ipse auctor esset. Tum, et ipse in genua provolutus, fortiter carnificem expectat, qui caput amputat. Id cum fecisset, statim alius carnificem interfecit, ne exstaret, qui generosum illum sanguinem a se sublatum jactaret. Carolus ausus est hujus tragœdiæ ipse spectator esse, occultus in alta quam turri. Idem. cap. XII. n. 15.

Piscium pugna terrestris.

Paulo ante Henrici II. Anglorum Regis mortem e quodam lacu in Normannia pisces noctu in terram exsistentes, tanto strepitu

congressos ferunt, ut multi homines eo accurrerint ad contemplandum miraculum, et cum nullum in lacu piscem amplius superstitem viderent, magis admirati sunt. *Ibid.* c. XLII. n. 4.

Equorum amor immodicus o Deo punitus.

Theophylactus Patriarcha Constantinopolitanus viginti tribus annis præfuit. Equos aluit ducentos, quos dactylis, amygdalis, pista-ceis, pinorum fructibus, croco, cinnamomo, balsamo, vino odoratissimo, aliisque fructuum, et aromatum generibus pavit. Adeo enim equorum amore insanit, ut eis tam pretiosum pabulum effundere non erubuerit. Prædie Parasceves die Cœnæ Dominicæ, cum in templo sub re divina de insignis equæ partu nuntium accepisset, ipse officium divinum deserens, mox ad stabulum properavit, ut pullum videret, et spectato salis recenti partu ad templum rediit. Sed hinc, nam aliquando parieti adequitans, a petalantiori equo illius muro, sanguinem cepit vomere. Hoc morbo biennium laborans, demum in hydropem incidit, et mortuus est. *DREX.* in *Noem.* c. XI. §. 4. causa. 1.

Gallicorum Hugonotorum in Catholicos furor.

In Gallia ab Hugonotis Catholicis vivi aggesta humo sepulti, ac obruti sunt; pueri mediis ferro secti; Sacerdotum viscera fuste intorta sensim exacta; quinque millia Sacerdotum variis supplicis enecta. Plurimi sulphureo pulvere instructi, lardoque peruncti accendebantur: alii candentibus verubus vivi per posteriores partes infixi: alii clavis ferreis in abrasam capitis partem adactis extincti. Monacho exsecta verenda coactaque devorare sua coegerunt, et ut scirent, quid de cibo actum esset, medium secuerrunt. *Furores Gallici.*

Prudens pueri factum, et responsum.

Clementis VIII. nepotulus sub mensam adibat, et sellæ Pontificiæ, ultra quam leges urbanitatis ferrent, se inclinavit. Monitus a cæteris adstantibus, ut urbanus ageret; respondit: « Quomodo melius possum susten-

tari, quam summo Pontifice? » Quæsitum studiosè fuit, num fuisset ad hoc edoctus; sed compertum est, eum hoc suapte sponte dixisse. *Ex relat. privatis.*

Libri multi ab uno scripti.

Joannes Fernelius Ambianensis in Præf. medicinæ ad Henricum II. Gallicæ Regem ait, Galenum scripsisse libros de re medica supra quadringentos, in aliis disciplinis ducentos quadraginta. Servius Sulpitius de Jure civili centum octoginta libros edidit. Magni nominis Ecclesiastes S. Augustinum affirmat triginta millia librorum scripsisse. S. Hieronymus ait, sex millia librorum Origenis legisse. Alphonsus Tostatus vixit annis tantum quadraginta, et tamen viginti quinque tomos edidit. Zoroastres de sola magia vicies centena millia versuum edidit. Plinius lib. III. hist. nat. c. 1. Theophrastus trecenta volumina reliquit. Laertius Chrysippus septinginta volumina scripsit. Suidas, et Volater. lib. XIII. c. iv. Aristarchus Grammaticus Alexandr. sub Ptolomæo Philopatore ultra centum commentarios edidit. Didymus Grammat. quatuor millia librorum scripsit. Suidas Eusebium Pales-tinæ Episcopus edidit infinita volumina, teste S. Hieron. de Script. Ecclest. in Euseb. Mercurius Trismegistus scripsit triginta sex millia librorum, quingentos viginti quinque, ex Tamblico lib. de Myst. Ægypt. *DREX.* in *Aurifod.* p. 1. cap. VII. Ego quidem censeo, salva aliorum sententia, eos per tot libros aliud non intellexisse, quam folia chartarum (saltem majorem partem) quæ fiebat ex arborum libris, seu tenuiori et corticibus membrana. Quis enim credat, trium seculorum hominem triginta sex millia librorum alio sensu scribere? Eodem sensu credo acceptanda esse tot volumina. *DREXEL.* in *Aurif.*

Infelix Alvari Luna exiit.

Alvarus Luna ab humili fortuna ad summum pervenit; in præcepis eum ambitio dedit: nihil ei ad regnum præter nomen defuit. Tandem bona ejus omnia occupata, ipse Majestatis damnatus, mula ad supplicii locum vectus est. In medio foro theatrum, in eo crux alta, et gemine faces, tapele substrato, Luna conscendens locum, crucem veneratus, annulum signatorium, et galerum amantien-

si puero dedit. Ea fortunæ facies omnibus lacrymas excussit. Erat uncus ferreus sublimi ligno confixus; rogat carnificem, in quem usum paratus sit? Ille, ut abscissum caput imponatur. Subdit Alvarus: « Post mortem de corpora facito, quod lubet; viro forti mors turpis esse non potest, nec immatura. » Simul diloricatis tunicis, intrepide caput securi subject, anno 1453. 5. Julii triginta annis in aula dominatus est, ut nihil a rege nisi eo arbitrio ageretur, ita ut nec Joannes III. Rex Castellæ vestem mutaret, eo non conscio. Truncus in theatro relictus, pelvi juxta posita, ad colligendam stipem, qua sepeliretur homo, paulo ante Regibus potentia exaquantus. Prioribus annis valem consuluit, id prædixit, Cadahalsum exitio fore. Et oppidum hujus nominis in Hispania, quod semper vitavit Luna, sed et ferale theatrum significat, quod vitare non potuit. *Id.* p. II. c. VIII.

Admirandus mendicorum Sinensium mendicandi modus.

Legati Hollandi in China videre mendicos inaudito modo mendicantes. Duo enim in se ex adverso ruentes ita capita collidebant, ut spectantibus illis horrorem incuterent; et istam collisionem toties solent repetere, dum stipem accipiant: si nulla detur, non desinant se arietare mutuo, etsi demum mortui humi cadant, quod sæpe contingit. *Ibidem* alium mendicium videre genibus innixum, qui ceu sibi ipsi obmurmuraret, mussans: dein caput nigro, ac rotundo saxo illisit, tanto impetu, ut quasi terra tremere; et hoc erat alterum, et crudele mendicandi artificium. *ITIN. HOLLAND.*

Mirum desperationis consilium.

Nobilis in Provincia Kiangsi Matrona, filia ditissimorum parentum, marito premature mortuo, ad parentes rediit; ibi etiam parentibus paulo post mortuis, mæsta, sumptus, et opes omnes in pontem impenditæ multis porticibus operose factum, in quem jam absolutum progrediens inde se in subjectum flumen præcipitavit. *Ibid.* c. XI.

Crocodilis rei objecti.

In Provincia Quangsi Rex Pego dicitur aluisse in lacu, Po dicto, decem crocodilos, quibus reos abjecit, qui eos solos involabant, illæsi innocentibus, qui dei sunt ab eo liberi dimissi. *Ibid.* c. XVII.

Apostasia gravior punita.

Auctor est Leonius Chalcondylus in histor. Turcica, et Cuspinianus in Mahomete I. cum Constantinopolim obsideret, primarium virum genere Patricium Imperatori infensum ad hostem ex urbe profugum, traditionem ejus, magna vi auri, et argenti, et unius filiarum Mahometis nuptiis pactum esse; annuit Mahometes, et Kal. Junii 1453. cum proditor mercedem exigeret, Mahometes immensum auri, et argenti pondus afferri jubet, et ad eum conversus: « Quia Christianus es, ait, et filiam cum hac dote petis, cutem veterem te exure necesse est, » et jussu vivum excoriari. *LINÆUS de imitat. Christi* I. I. c. III.

Crudelitas mariti in uxorem.

Silvanus aurifaber, nobilem viduam Genuesensem inaudito modo occidit anno 1446. Nobilis illa pullis suis cibum objecit, accurrit etiam gallus Indicus aurifabri, et se probe farcit, quem illa fuste abigens in pede læsit. Id ægerime ferens Silvanus acerbe in auctorem invehitur. Fœmina fatetur, se fecisse; sed delictum non mereri tantam tempestatem, magis inde furit aurifaber. Interventit famulas dominae, gladio instructus, volens heram defendere: sed mox glande eum faber trajicit, accusatur, pellitur patria ad tres annos. Minatur ferox homo femine; illa ex arce in urbem migrat; petit conciliari aurifaber; non vult domina. Intra duos annos nil audiunt de aurifabro: ergo domina redit ad arcem, exploratur ab aurifabro, qui eam cum sociis obruit in castello: claudit post se portas, capit famulam, obturat os strophio, alligat ad lignum; foeminam vero in saccum trudit, ducent in vineam ejus. Ibi eam crinibus apprehendit Silvanus, exprobrans injuriam, alligat caudæ equi a capil-

his, ita in area aliquoties raptat: aligat arbori, dexteram partem pectoris amputat post quadrantem vero sinistram partem. Dein in foveam projicit, in qua stare erecto corpore homo possit, et inibi sepeliri. Aperit ei pectus, cor inde eripit, et præ rabie dentibus invadit, et lacerat, deinde sepulchrum terra obruit; et cum prominere solum caput, illum abscondit. Sed brevi post captus Genue, in carcerem conjicitur, forcibus discerpitur, in quatuor partes secatur, et fere eo modo tractatur, quo ipse feminam excarnificavit. *Hist. Aug. impressa 1646.*

Crudelitas parentum erga filios.

Manlius Torquatus filium securi percussit Latino bello, quod contra imperium in hostem dimicasset, nec profuit juveni, quod victor, quod hostilibus ornatus spoliis ad patrem redisset: valuit plus imperii majestas apud Manlium, militarisque disciplina, quam paterna pietas, aut filii strenuitas. *P. MONT.*

Venia negata causa gemine damnationis.

Anno 1618. e Polonia in Germaniam scriptum, duos in eo regno Religiosos ejusdem Ordinis, levibus iniitiis offenscularum irritatos aliquamdiu odia etsi lethalia dissimulasse. Alter ex eis fatali morbo corripitur, et alterum vocat conciliandi ei se gratia; sed is renuit, moritur æger. Sedentibus ad mensam Religiosis nuper mortui umbra adest, cumque universos oculis obisset, et inter eos capitalem inimicum, cum evocat, atque: « Scelustum caput, et fere causa unica damnationis meæ, qui mihi nolisti ignoscere, me quoque efferasti, in quo affectu mortuus sum, et ad oreum ivi. Ut sis ergo meus civis, mecum ambula. » Hoc dicto larva misero elisit animam. *SAB. l. VI. male spei l. II. §. 7.*

Canonicis parentes ostensi.

Joannes Teutonicus obscuris parentibus, et illegitimo thoro natus, ob doctrinam tamen factus est Canonicus Halberstadiensis, a Collegiis vero ob generis, et originis vilitatem contemptus, eos ad convivium vocat, et inter alios lepores querit, num singuli cupiant

videre patres suos. Annuuntibus illis, malo carmine elicit patrum umbras; ubi alii patrem suum viderunt morionem, alius stabularium, etc. quorum facies se in paternis aedibus vidisse meminerant, suum quoque patrem ostendit pinguem Sacerdotem. Dimissis inde larvis: « Eia, inquit, dicite, cujus patrem nobiliorum judicatis? » Ex eo tempore omni convivio in eum abstinere, de sua origine pudefacti. *DELAYO disquisi. mag. l. II. q. 30. sect. II.*

Judicium sapiens.

Civis Parisiensis, dum Præposito vineam suam vendere recusat, quod bonum esset hæreditarium, contigit paulo post mortuo eive, præpositam duos Scabinos seu Consules adire pecunia corruptos, quos noctu secum duxit ad sepulchrum; terra egesta summa cadaveri in manus dat, quam pro vinea olim obtulerat, et tum ad Scabinos conversus ait: « Vos domini, testes estis, quod ille talem summam a me accepit, quam ille manu tenet, nec contradicit? » Dicientibus illis: « Testes sumus, pecuniam recipi; ac mane his testibus adhibitis, vineam sibi vindicavit. » Sed uxor asseverans, nil simile fuisse, pecuniam nec maritum vidisse, recurrit ad Philippum Regem Galliarum. Ille negotium quibusdam committit, qui vineam Præposito adjudicant. Uxor de injuria ad Regem expostulat desperabunda. Rex testes citari jussit, quemque scorsim examinavit. Primum interrogat, num sciat recitare *Pater noster*: recitat ille jussu Regis, quo in vicinum cubiculum dimisso, alterum serio aggreditur: sciret socium ita veritatem confessum; quantæ sunt veritatis verba S. Scripturæ; quod si ab eo dissentiat, actum esse. Hinc in genua provolutus totam rem exposuit. Rex vineam vicinæ restituit, Præposito vivum sepeliri jubet. *NIEREM. STROM. l. V. c. XXIV.*

Puella lasciva repente mortua, sed salvata.

P. Gregorius Witweiller narravit P. Felici, se cum adhuc Sacerdos sæcularis ex Italia in Germaniam rediret, venisse in hospitium. Filiam hospitis comitatam fuisse ad cubile, sollicitasse se ad flagitium: sed se abominatum

tum facinus, eam tamen non destitisse, sed leviter etiam saltasse, usque dum caput impigit in lecti angulum ligneum, quod impetu, et vulnere extincta fuit. Witweiller hospitem vocat, recenset factum: quin incredulus eum viretinet, ceu in custodia; dum tormenta metuit, apparet filia noctu hospiti patri suo nimitas, ne advenæ illi molestus esset: se in momento illo agonis contritam fuisse, doluisseque de peccatis, et ita damnationem evasisse. *Idem.*

Pauperum spoliis templum ædificatum.

Arsanus Bassa Ægyptius, ut sine magno suo sumptu templum struere posset magnificentum, proclamari obique jussit consilium suum: quod opus ut succederet, statuisse se publicam stipem omnibus advenientibus dare, diemque, et locum nominavit. Erat area ingens multorum millium capax; huc infinitus hominum numerus e tota Ægypto, et regnis vicinis accurrit. Assanus autem indusiorum, et tunicarum ingentem vim parari curavit. Ab hac itaque tam vasta area per muri aliquot porticellas ad aliam homines elemosynam accepturos transire jussit, quam ut quisque ingressus erat, statim omnibus vestibus exutus, eas ibidem relinquere, atque indusium, et tunicam novam accipere cogebatur. Sic e priore illa area in posteriorem transibat, ignorantibus interim, qui in area remanserant, quid cum illis, qui aream ingressi erant, ageretur. Et licet quilibet veteres pannos libenter retinisset, cum soleant eis pecuniam insuere, cogebantur tamen novas accipere vestes, et viam abire. Quibus ingressis, mox omnia igne injecto cremari jussit, unde tantam auri argentique constavit, quantum ad excitandam Moschæam, cui modo nomen Aromele est, necessarium fuit. *LVA. de Imp. Chr. l. VII. c. I. doct. 45.*

Suspicio adulterii sapienter sublata.

Hugo Hetruriae Marchio ex Huberto seu Adelberto, Wila natus, credebatur ab initio ex adulterio natus. Cum enim ab Lotharii Imp. obitu Otho primus Italie Rex inauguratus esset, et forte hujus iram Hubertus incurrisset, in Pannoniam profugit: neque inde abscessit, quam reddita denuo Othonis

gratia. Interea uxor, quæ absente marito, sapienter rempublicam gubernabat, e marito ante ejus abitum gravida, filium peperit: quem reversus Hubertus videns, ut alienum rejecit, et Wilam adulterii eam accusavit; sed res explorata innocentem probavit. In amplissima domus area conventus hominum longe frequentissimus est habitus, et Hubertus in promiscua turba, nulla subsellii, aut vestium veritate dignoscendus, sedere jussus. Puer continuo solus dimittitur, qui aliquantum in magna multitudine nemini alludens, tandem ad Hubertum pervenit, eique, perinde ac patrem agnosceret, blande adhaesit. Ita infamia abstersa puerum pro filio habuit. *JOAN. BAPTIST. LAURUS de annuo B. V.*

Principis optimi qualitas.

Idem Hubertus privato habitu sepe se suorum subditorum cœtibus immisceit ignotus, et de imperantis domini rebus obloquebatur ipse, ut justas de se, ac proceribus querelas eliceret, et emendaret. Hinc optimi vocabulum promeruit, et tandem a Marchione Pdux est creatus Romæ. *Idem.*

Mira mendici dilatio.

Opifex re in medicos omni longo morbo impensa depauperatus, cum aliquando famelicus mane oberrans Romæ forte ad templum venisset, ubi tunc Divi illic culti Natalis dies celebrabatur, inter alios, qui pro more solebant aram maximam osculari, ac donum illic offerre, ipse osculo illo tantum nummorum ore accepit, quantum os capere potuit, et abiit. Quibus nummis cum ligulas, actus hujusmodi mercurionia coemisset, statim cum quaestu divendit, et pretium rursus in alias merces expendit, unde pauper fiebat ditior; ubi ita profecit, bona fide tot ad templum illud nummos retulit, quod ante osculo abstulerat: eumque Sanctum deinceps pro Patrono ad res omnes adhibuit, fuitque exin nunquam egens. *NIC. ERIC. ex. LXXXV.*

Crudele spectaculum gratum.

Annibal, cum fossam sanguine humano

plenam vidisset, dixit: « O formosum spectaculum! » Voleus sub divo Augusto Proconsul Asiae, cum trecentos una die securi percussisset, incedens inter cadavera cultu superbo, quasi quiddam magnificum conspiciendumque fecisset, exclamavit: « O rem regiam! » SENECA de ira l. II c. V.

Opera parva.

In nuce inclusam Iliadem Homeri in membrana scriptam tradidit Cicero. Idem, fuisse, qui pervideret 135. millia passuum, Strabonem dictum, solum in Punico bello a Lilybeo Siciliae promontorio, exeunte classe Carthaginis portu, etiam numerum navium dicere. Callicrates ex ebore formicas, et alia parva fecit animalia, ut partes earum a ceteris cerni non possent. Myrmecides quadrigam ex eadem materia fecit, quam musca integeret alis, fabricatam; et navem, quam apiculae sinus absconderet. PLINII l. VII. c. XXI.

Thesaurus inventus causa fatalis tristitiae.

Rusticus, cum thesaurum reperisset, eum apud se retinens, in tantam melancholiam et tristitiam incidit, ut paulatim pra' angore et nimia sollicitudine, quod nesciret, quid de illo faceret, contabescens, tandem exspiravit; rem autem, quam narro, vere contigisse, mihi constat certo, ait S. Theresia. S. THERES. vit. c. XXXVIII.

Violati federis pana.

Refert Orosius, quod, cum Romani mississent legatos ad diversas gentes, quas nominat, ipsaque eos recepissent in pace, data utrinque fide, subita seditione et prodicione irruentes in eos, in suis civitatibus occiderunt. Ad hujus perjuria detestationem sanguis e scisso pane a Romanis erupit; animalia etiam domestica et cicurata cum ululatu ad montes et sylvas oberrabant. Milites autem illi omnes cum suo Imperatore Alvio et Pompeio in campo victi et occisi sunt, exceptis quatuor millibus, qui ad alta montium confugerunt, Dei tamen iudicium non effugerunt. Nam lapidum instar congelati, et immo-

biles facti, ita obliquerentur, ut erecti stantes viderentur vivi, dentibus et oculis ab eis decidentibus in terram. OROS. l. V.

Nomen patris sub aure prolis.

Nobilis juvenis, qui Bruntruti studuit, ex utero materno paternum nomen secum natum protulit post aurem expressum. Mater enim illius ante conjugium ita sponsum afflictum amabat, ut, quicquid manu arripere, in eo statim sponsi nomen inscriberet. Praegnans postea, forte territa, aurem frienit, quo contactu id nomen, quod animo intuebatur, foetui eleganter impressit. STENGL. de moist. c. IV. §. 2.

Astrologi mendacium facto refutatum.

Astrologus aliquando mesto vultu visus, rogatur a nobili viro, cur ita tristis esset; cui respondit, se tristari, quod previdisset, cum intra annum moriturum. Hinc dominus ille mæstus cepit decumbere, sola mortis formidine. Hoc ubi miles nobilis audivit, et intellexit, morbum ex Astrologi predictione provenisse, Astrologum rogat, num verum sit, eum intra annum moriturum. Annuentem iterum rogat, equando ipse esset moriturus Astrologus? Cuique alter diceret post XIV. annos, illico eum gladio confodit, et mendacem ostendit. Eo nuncio aeger lætus,posito metu convalescit. S. BER. Sen., to. II. l. VIII. a. 1. c. 1.

Oratio Dominica astu docta.

Quidam triginta jam anno natus, a Sacerdote, cui fuit confessus, dicere *Pater noster* jussus, dicebat se nescire, neque se adieisset unquam scholas. Objurgatus a Sacerdote, respondit, se nunquam posse addiscere. Tunc Sacerdos ex eo quassavit, quid dare vellet eam orationem docenti; cumque alter diceret viginti ducatos, ait Sacerdos, se illum velle docere intra annum, sed ea conditione, ut singulis, quos ad eum esset missurus, mutui loco daret tres frumenti modios. Quod si intra annum didicerit *Pater noster*, ab iis frumentum non repetat; annui ille. Igitur Sacerdos pauperem unum ad eum misit, ut

peteret duos sextarios frumenti, et diceret ei, se vocari *Pater noster*. Alio die misit alium, qui se diceret vocari, *Qui es in caelis*, et sic alios, donec absolvit *Pater noster*. Avarus fideliter nomina debitorum retinuit, et finito anno videns, quod Sacerdos nihil diceret, aut doceret, uti promiserat, omnes pauperes ad iudicem vocavit, ac frumentum repetiit, quod tamen ne darent, jam ante a Sacerdote fuere moniti. Adsunt illi, ac se monitos a Sacerdote aiunt, ne quid darent. Sacerdos citatus rogat avarum, quid ei cum pauperibus illis, quorum nomina nesciret. At ille dixit, se probe callere: « Sic enim, ait, istum vocari *Pater noster*: et hunc *Qui es in caelis*; et sic de aliis. » Tunc Sacerdos ei dicit: « Annon tecum ita sum pactus, ut, si te intra annum docerem *Pater noster*, frumentum esset istorum? » Objiciente altero, toto anno sibi Sacerdotem nunquam esse locutum, nec docuisse *Pater noster*, respondit: « Hoc est *Pater noster*, quod didicisti in nominibus debitorum tuorum. » Et sic triticum perdidit, et didicit *Pater noster*. Idem. t. IV. fer. v. Ci. p. 1. ser. II.

Convivium fanebre lautum et insanum.

Anno 1655, in Principis Aetholici funere constat impensos boves 170. vitulos 330. verveces 800. porcellos Trojanos 400. juvencos 248. agnos 6,000. sues 200. gallos Indicos 300. capones 400. anseres 600. gallinas 14,000. pullos gallinaceos 22,000. ovorum 23,000. butyri centenarios 4,000. plaustra vini 400. cerevisiae urnas 3,000. salis modios 400. lucii piscis centenarios 600. carpinum 3,000. praeter feras, apros, cervos, lepores, cuniculos, perdicis, turdos sine numero. Pretio horum omnium quinquaginta millium et ducentorum florenorum helluatio stetit summa; nec tamen ultra triduum duravit. ENGEL. in Panth. in oct. Corp. Christi mir. IV.

Convivium ex meris cerebellis avium.

Carolus V, ut ex P. Vivero ipse accepi (ait Engelgr.) Franciscum Galliarum Regem Madriti excepit, dum centum lances argenteas mensae ejus inferri jussit, non nisi cerebellis avium instructas: alias insuper centum

aureas, totidem porcellanas, omnes cerebellis avium instructas. Mensisque remotis Regem per duodecim conclavia deducit, harum omnium volucrum plumis convestita. Ibidem.

Amor insanus mariti.

Joanna Regina Castellae et Aragoniae, maritum suum Philippum I. Pulchrum nomine, ita dilexit, ut nunquam a corpore ejus jam mortuo potuerit separari; in dies enim sarcophagum aperiri jubebat, et secum ubique asportari voluit. Huic olim Philippo regia magnificentia Hispaniam ingredienti, velula quaedam vaticinata est, magis illum post mortem, quam in vita, ambulaturum. Ibidem. mir. VIII.

Templa plurima a Regibus Hispanis aedificata.

Scrivanus Solit. in praefatione alloquens Philippum IV. ait: « Memineris te ab his venire, qui in solo occidente supra septuaginta templorum millia ditissima pietate extruxerunt; » et Jacobo Aragonio, qui solus bis mille templa Dei Matri aedificavit. Ibidem.

Helvetii Austriacorum osores.

Narrat Spondanus (Annal. Eccl. ann. 1454. n. 14. pag. 39.) Helvetios adeo odise nomen Austriacum, ut audire non possint; et si quis de iis bene loqueretur, aut ostenderet eis se fidere, fuisset sine iudicio occisus; ejus insignia gentis ex omnibus locis sacris et profanis abrasere. Et quia Duces Austriae gestant in galea pavonis caudam, nullum ipsi in tota terra sua pavonem patiuntur. Si quis in pileo gestasset pavonis pennam, sine quaestione interficiebatur. Ibidem.

Monile pretiosum.

Carolus IX. Galliae Rex, pretiosum monile illustri feminae donavit, hisce Gallicis verbis inscriptum: *Qui n'a, n'a faute de rien*; id est, qui me habet, nullius eget. Ibidem. mir. VIII.

Mira uxoris in maritum dilectio.

Rodericus Sancius sic scribit. Cum Eduardus primogenitus Regis Angliæ transfretasset ad Christi sepulchrum, proditorie Mauri alicujus intoxicato gladio percussus fuit. Frustra consulti medici, vulnus coalescere nequibat; saucius domum deferretur; et ecce uxor filia Regis Hispaniæ vulnus curavit, quotidie id lingit, et sugit virulentum illud vulnus, et tandiu exsuxit, dum convaluit maritus. Ibidem.

Idem.

Depulso Cleomene Spartanorum Rege ab Antigono Macedonum Rege, cum is in Ægyptum ad Ptolomæum regem se recepisset, ac Pantheum sequi uxor vellet, a parentibus prohibita, magno studio servabatur. Cæterum ipsa astu ingenti adinvento equo, ad mare nocte se contulit, atque incognita navem conscendens, in Ægyptum ad virum pervenit, amboque illic vitam peregerunt. FULG. I. VI.

Lacte capræ educatus, ut capra saltans.

Testibus oculatissimis et locupletissimis acceptum est, virum religiosum et optimis moribus imbutum, in publico valde moderatum et modestum, cum se solum crederet, remotis arbitris instar capræ saltasse, et curricularis: rogatus causam, ait, se capræ lacte enutritum. ENGLER. *fst.*, S. Jo. Bapt., §. 3.

Assarum in latronum.

Fertur Sixtus V. initio Pontificatus sui, ad terrendos et expellendos Bannitos, cohortem equitum instruxisse, qui eos insectarentur, et vivos in urbem deducerent. Primum quidem, qui in manus venit, vinculis altissimi in carcere jussit, donec secundus comprehensus esset; quo capto, statuit, ut luculento igne extracto, primus veru infingeretur, atque ab altero veru verti, et socium assari. Cumque tertium cepissent, jussit secundum

assari a tertio, etc. Ita grassatores a scelere revocavit. Ibid. *de S. Laure.*

Æsopi deformitas.

Æsopus aliquando Sacerdotibus Dianæ conaculum dedit, et viam in urbem, quam petebant, ostendit. Altera nocte vidit in somnis fortunam sibi adstantem et linguam solutam, ac fabularum doctrinam sibi datam. Quia aliquando præfectum agri reprehendit, quod in operarios tam esset acerbus, is Æsopum apud herum traduxit, ceu monstrum, quod ominose loqui prompte subito cepisset; Herus igitur villico illi, cui Zenas nomen, Æsopum donavit; Zenas mercatori voluit vendere: sed cum is Æsopi deformitatem daret, ipse Æsopus: « Ene me, inquit, erit aliquis mei usus; si pueruli domi fient, ac turbulenti sunt, eis pro larva ero. » Emit igitur tribus obolis Æsopum, qui cum primum fuit in domum ductus, flentes forte puerulos aspectu compescuit. *Ejus vita.*

Hortulanus natura viticulus.

Idem presente hero olitoris questionem, quam herus etsi Philosophus dissolvere nesciebat, apte expedivit. Rogatus enim, cur olera a se plantata, etsi solerter curata, et irrigata, tam lente provenirent, cum alia germina, et zizania sine ulla cura, et cultu sponte nascerentur, respondit, non ut Xanthus ad divinam providentiam confugiens; sed, « Mulier, inquit, cum ad secundas nuptias iverit, liberis e priore viro susceptis, si virum quoque nanciscatur ex priore uxore liberorum habentem, quos ipsa filios adduxit, horum mater est, quos autem reperit penes virum, horum est noverca. Et multum interest; suos enim amant, et sollicitè curat, alienos odit, et cibos immittit, ac suis dat liberis. Ita et terra eorum, quæ ipsa ex se genuit, mater est; quæ autem tu plantas, horum est noverca: ideo quæ sunt, ut legitima magis nutrit, ac fovet; a te autem plantatis, ut spuris non tantum alimenti tribuit. » Ibidem.

Major catella, quam uxoris in maritum, fidelitas.

Xanthus Æsopi dominus alibi conviva,

Æsopo de mensa analecta meliora dedit, uxori ferenda, dicens: « Hæc benevolæ meæ trade; » at ille domum reversus, heræ quidem illa exhibuit videnda, sed addidit, hæc non ad ipsam, sed ad benevolam Xanthi spectare, et catellæ omnia objecit. Rogatus ab hero, an jussa fecisset, respondit, omnia se benevolæ ejus dedisse. Reverso marito uxor exprobrat, se cani postpositam, et divertium cogitat, et petit. Xanthus miratus, ait, se ipsi cibos misisse. At Æsopus rogatus, cur id egisset, dixit hero: « Hæc catella tibi bene vult, uxor autem tua ad quamvis offensam conviciatur, et abit. Canem si verberes, expellas, non tamen discedit, sed oblitus tibi iterum blanditur. » His tamen illa nihil mota ad parentes redit. Tum Æsopus: « Annon recte dixi, canem tibi melius velle, quam conjugem? » Post dies aliquot rogata uxor a Xantho, ut rediret, cum nollet, Æsopus herum consolatus, promisit altero die se illam adducturum. Igitur ad forum ivit, et gallinas, aliaque ad convivium parandum emit; et cum transiret heræ suæ domum, ignorare se simulat, in ea heram manere. Et cum in quemdam e domo illa incidisset, rogabat, an aliquid ad nuptias utile domestici possent sibi vendere. Illo autem, cuiam opus esset, interrogante: « Xantho, ait, qui cras uxorem ducet. » Eo vero ascendente, et uxori Xanthi hæc nuntiante, illa propre ad Xanthum rediit. Ibidem.

Cur ovis ad mortem taceat, sus clamet?

Æsopus joco rogatus, cur ovis ad eandem tracta non clamaret, sus autem ita vociferaret, respondit, quia ovis assueta vulgari, aut lana causa tonderi, non obloquitur, sed tacite sequitur, nec etiam arrepta pedibus aliquid grave suspicatur; sed sus, qui neque vulgatur, neque tondetur, neque novit ad horum aliquid se trahi, sed carnes suas tantum esui esse, merito vociferatur. Ibidem.

Gula vilem facit.

Gallinæ viso pavone steterat attonita. At ubi viderunt eum submissa cauda, vasculo opportune inspecto, in escam, et in potum ferri, illico quasi ad æqualem sibi avem advolant, et pia familiaritate cum contemnunt. TORUS V.

Idem contigit viro Ecclesiastico quandoque, qui in convivio assidens, ubi mulieres, ac puellæ multæ erant, cum ante esset venerabilis, ubi postea eis assedit, et in cibos, haustusque frequentes se effudit, omnium sanitates ehibit, jam contemptui, et risui est. ENGLER. *Dom. II. Epiph. §. 3.*

Propinatio in sanitatem elusa.

Quidam hausti sanaturum se urgenti vicissim ingens frustum panis obtulit: « Ede tu, inquit, ad sanitatem meam; ego bibam ad tuam. Tu hoc non potes; nec ego illud. » Ibid. §. 4.

Crudelitas execranda.

Wenceslaus Rex coquum ob capum minus bene assatum jussit capi instar veru ad ignem torreri. Otho Antonius Montis Ferrati, et Urbiniatium princeps, puerum, quem in cubiculi ministerio assumpserat, resinato linteo atque sulphure perfuso involutum, vivum in candellæ morem consumpsit, quod hora præfixa se non excitasset. Id. *Dem. VI. Epiph. §. 2.*

Conjugalis amor.

Cyrus Rex Persarum aliquando ex Tigrane Rege Armeniæ cum conjugæ captivo quassit, quid pro conjugis redemptione in lytrum offerret? Cui festinim Tigranes: « Integram, ait, regnum, o Rex, si haberem; quod quia fors abstulit, libens sanguinem, et vitam dabo. » Eo responso mire captus Rex, ambos liberos dimisit, ac regno restituit. Domi dein Tigranes familiariter e conjugæ quassavit, quid de Cyri prudentia, et regia ejus munificentia videretur; num omnem aulæ apparatus probe observasset? Cui illa: « Ex quo tecum, inquit, in vinculis fui, ita me devinctam habuisti, ut nunquam oculis aut mentem in alium deflexerim, quam in eum, qui me valuisset suo sanguine redimere. » Id. *Dom. Quinq., §. 3.*

Rebelles puniti exemplum.

Petrus Rex Aragoniæ, ut regni turbas se-

daret, solitioso parentes liberis, ne paria auderent, in exemplum proposuit. Ideo Principes sibi rebelles in palatium accivit, deliberaturus cum eis, quis campanam conflare posset, cujus sonus totam Aragoniam pervaderet. Convocati Regis consilium risu explodebant. Sed Rex cujusque sensum velle se explorare respondit; et illico quemque in secretum cubile admissum capite plecti, et trunca cadavera in peripheriam ad campanæ formam constitui jussit. Supererat Princeps a Rege primus, qui cruento hoc spectaculo attonitus, rogatus fuit, quid huc campanæ deesse censeret; cumque hæeret, jussus dicere sententiam, tandem timide dixit, malleum ei deesse. Cui Rex: « Tu eris, » et mox capite plexus, in medio locatus, mallei vicem explevit. Tum Rex ad interfectorum liberos conversus, jussit parentum eos malo sapere, quod et fecerunt. Id. *Dom. vi. post. Pascha.*

Amor insanus adulteri.

Gallus quidam primariæ vir nobilitatis, captus amore conjugis nobilis cujusdam Belgæ, quæ vicissim, et ipsum amabat, cum intellexit, amasiam suam a conjugè viro in Belgium reductam obiisse, ipse quoque se perimere statuit, sed famuli obstiterunt. Nihilominus ille e Picardia Antuerpiam properat, ubi tumulata erat. Postquam ei lacrymis, et suspiriis crebris parentavit, Ægypti solitudinem sibi elegit, ut eremitam illic ageret: duplicem iconem amasie suæ defert, viventis, ac mortuæ. Cæterum itineris tempore quotidie his, mane, et vespere pronus utramque effigiem adorabat, miscebatque variâ amantium colloquia; famulo item imperarat, ne alios quam de illa sermones secum haberet. Dein alteri servo imperavit, ut scipius se salutaret amasie nomine; præterea, quoties accumberet mensæ, semper ei propinare haustum ad sanitatem amasie jam defunctæ. Postquam cum utroque famulo in Ægyptum venit, exstructo sacello, appendi utramque feunculam inter effigiem Christi crucifixi, quam etiam tunc quotidie, ut divam cœlis illatam, adoravit. Tandem vi doloris exhaustus, Veneris et Dæmonis martyr obiit. Id. *Dom. xvii. Pent., §. 3.*

Beneficentia severitate potior.

In Flandria vir quidam rustico occurrit,

qui asinum sacco onustum fuste agebat sapinus impacto, nec tamen quidquam profecit. Risit alter, et objurgat ob sævitiam; tum alium ei modum ostendit asini urgendi. Idem ex agro avenæ manipulum colligit, et scipioni suo alligat; ita asinum conscendens, ad exiguum distantium ante nares asini fasciculum prætensum gestabat, quam avenam dum asinus prensare nititur, alacrius processit. Ita edoctus rusticus, et gratias egit. SCRIBAN. *sup. Rel. l. I. c. 1.*

Horologium admirandum.

Puella amantis cineres, quem vivum stulte deperit, studiosè collegit, et vasculis inclusos pro clepsidra adhibuit, noctes et dies ad eam lacrymans. EXCELER. *Dom. iii. post Pasch., §. 2.*

Ambitio elasa.

Prelatus, cui proprium esse viridem portare galerum, inhiabat purpureo, quem ut obtineret, gratiam nepotis Pontificii gratioso munere captare studuit mittens in argento immatura, atque omnino viridia cerasa, hoc lemmate margini adscripto: *Te sole rubescere gaudent.* Responsum accepit, cerasa sua nimis magna in umbra sita esse, et a multis majoribus obfuscari, et obumbrari. Unde videt altiores se, ac illustriores sibi præferendos. Ib. *Dom. iv. Quad.*

Honor ridiculus.

Oppidani quidam transeunti Carolo V. vias cum adornarent, patibulum ramis amone contexterant, atque inde furis cadaver dependens pretiosis vestibus induerunt. Id. *Dom. v. post Pent.*

Amici vestis ad quideis impetrandum adhibita.

Artaxerxes, Tiridate mortuo, sibi præ cæteris alicis charo, vehementer doluit; quem dolorem ut leniret, a conjugè Regina petit, ut quando accepta sibi, et quidvis obtentura venire cuperet, Tiridatis vestibus accederet

induta, ut, cum aliter non posset, sic saltem sub imagine, quem mortuum lugebat, videretur intueri, quod Aspasia uxor non invita fecit, ac in logis Tiridatis purpureis aureisque tiaris coram Artaxerxe identidem apparuit. Id. *Dom. xxii. post. Pent., §. 1.*

Occupatio terræ a cœli aspectu impedit.

Dum Dux Albanus in Germania luculenta victoria, devicto Duce Saxone, potitus est, per Galliam iter instituens, Franciscum Regem salutavit, qui ex eo quasivit, an verum esset, in eo prælio duos in cœlo soles visos? Cui Albanus respondit, se tunc ita fuisse occupatum in terris, ut non viderit, quid in cœlis ageretur. Ib. *Dom. xx. §. 1.*

Principis aspectus solum desideratus.

Anno 1668; Monachii transeunte Ser. Electore in curru ad templum S. Petri, in angulo plateæ se stetit Hispanus pauper; quem cum vidisset Ser. ex Alicis unum voluit ex eo percontari, numquid a Ser. vellet? Negat ille, ex Hispanica verecundia mendicandi, se aliquid velle; cupere se tantum a Principe videri. Rogatur iterato, sed is semper respondit, non aliud se velle, quem ut a Principe videatur. Tum demum Ser. illi ducatum misit, facile assecutus, quid ea tam superba modestia sibi vellet. At Hispanus gratias egit maximas, non tam quod a Principe esset visus, quam quod ipse nummum aureum in sua manu vidisset. *Relatio privata.*

Mulieres ob Regis Persici aspectum trucidatæ.

Rex Persarum, qui P. Pistel humanissime accepit, quinque millia uxorum alit, quæ Regiæ vocantur. Regia ejus intra parietes auro mero, et argento fulget. Muri sunt ex lateribus sole coctis, nostris tamen duriores. Quoties animi causa Rex exit, ad tria vel quatuor milliaria quinquaginta vel sexaginta millia hominum in comitatu habet. Illo prodeunte nulla mulier audent comparere; quare incolis terræ, per quam ire vult, per decretum indicatur, Regem transiturum: quo accepto omnes feminas occludunt. Si quæ autem inscia occurrit, statim mactatur ab

Eunuchis. Toto tempore, quo Rex prandet, luxu Persico cibi inferuntur, tandiu donec Rex surgat. Comedente Rege, et Satrapis, licitum est adstare pauperibus, qui nullo respectu habito comederunt scutellas invadunt. Sunt Persæ in pauperes valde liberales: si quis enim illorum comedat panem, et adstantem suum videt nullum habere, suum descendit, et dimidium dat famenti. *In Relat. privata.*

Matrimonium filie male impeditum.

Parisiis Præsidi Parlamenti duæ erant filiae, quarum natu majorem procabatur nobilis quidam Gallus; parens vero nolens consentire, persuadet filiae, ut per annum se recipiat in cœnobium S. Mariæ Magdalene, tum fore se censurum. Paret illa. Hoc advertens nobilis, familiaris factus juniori, ac prætendens alteram sororem esse in cœnobio, matrimonium ei persuadet. Peractis nuptiis natu minor invisit majorem, quæ ita ægre hoc matrimonium tulit, ut litteras ad parentem dederit: « Mi Pater, cum frivola, et imanis spes in desperationem me adduxerit, animam meam, ac me totam Diabolo tradidi. » Litteras dat sorori, patri tradendas. Illa vero ex oblivione vel negligentia altero primum die tradit. Ut autem parens legit, ad monasterium accurrit, ut malum præveniat: sed jam suspensam in conclavi reperit. Ita litteræ Parisii datæ 1654. *Ex litteris Parisiens.*

Pests admiranda.

Anno 1656. Neapoli intra semestre pestis in sola ea urbe trecenta hominum millia sustulit. Valentia in Hispania anno 1648. Pestis subito exorta, primo tantum sutores invasit; et nullum alium; tandem omnes illos, qui crepidis calceisque ab iis coemptis uterentur, adorta est; tum totum regnum invasit. Comperit tandem fuit, navim Algerio soleis coriaceis suberbusque onustam non ita pridem appulisse, quæ in Africa, vehementer peste laborante, contractis contagiosis affluvis, Valentia sutores, dein reliquos invasit. Narrat Ingolstadt de peste Mediolani subito orta, eam primo contraxit Edituus, dein universa civitas, cum strage quinquaginta

millium. Origo fuit funis post vetustam quamdam arcam repertus, quo olim ante annos viginti quinque vesperiones usi sunt ad sepeliendo peste assumptos. Fuit sub Agathonis Pontificatu prodigiosa pestis; Demon spectabilis visus est domos contis impetere, tot funerum elatione, quot ictus dedisset foribus, et tanta fuit veneno vis, ut ad oscitationem, aut sternutationem homines conciderent exanimis. Unde ex eo tempore mos invaluit, oscitanti aut sternutanti salutem precari. Anno 1617. Pestis Neapoli sexaginta millia infantium sustulit, præter innumeros alios. Mediolani Monialis timore pestis, quæ tamen monasterium tunc nondum invaserat, a cæteris separata intra cubiculum suum se retinuit, omnium occursum et alloquium fugiens, et salubri odore cubile complens; et cum necessarium rerum comparandarum causa aliquando egreditur, aperta relicta janua, reversa selem in lecto reperit, qua fugata, dum lecto se committit, peste correpta, post triduum moritur. Causa mali intellecta ex ægra, occiso feles, et monasterium ab omni contagione immune fuit. In urbe quadam Italiæ (Senas alii putant) pueris o platea ludentibus, corvus in forum devolans a cætero agmine, magna puerorum læticia exceptus fuit, et dum de præda, cujus sit, contendunt, pennas ei evulsas in ea contentione domum quisque suam tulit. At pueri statim male habere, et omnes, qui eorum curam habere. Vagat inde lues per urbem, et funera, non sine metu exterminii, open tulit. B. Virgo a civibus invocata. *Athanas. Kircher. de peste.*

Vestis Imperatoris loco præsidii.

Cum Mahomet II. in Hungariam veniret, de ditici Christiani ex oppido Ketschemit ei dono misere 600. oves, 400. hoves, 11. currus panibus onustos, rogatusque ab eis est, ut vellet hominem mittere, qui præsidii loco adversus Turcas equites se defenderet regis nomine. Is vicissim eis misit 300. ducatos, et vestem auro intextam; ita se et sua servarunt. Quoties enim turba equitum adventit, toties Prætor loci eam vestem, uti Mahomet jussit, induit, ac se illis in ea ostendit. Tunc equites omnes, equis descendentes, togam illam reverenter osculati sunt, ac ære suo rogarunt liceat sibi annonam emere, ac illic

nullius offensa pernoctare. *ENGELGR. Dom. III. post. Epiph., con. III.*

Reverentia Præceptorum, et idolo exhibita.

Neiche, sive Regulus de Tangeor in Regno Madure, mire in deos supersticiosus, mense Decembri solet lectum duabus ante solis ortum horis deserere, et in conclave idoli sui ingressus, ibi tres, aut quatuor horas post ortum moratur. Illic locus est deliciarum ejus, quo toto tempore se occupat in floribus supra caput idoli sui spargendis; qui ne desint, ex remoti regni partibus curat afferri, quotquot possunt reperiri, quantum fieri potest, omnes recentes. Interim in hoc silentio Regis tanto foris sunt ministri cum variis arte factis ignibus, magno strepitu idolo adstrepentibus, ut ea, quæ Rex orat, largiatur. Cibi et victus Regis eo mense a nullo alio possunt parari, quam ab ipso Rege, qui suis manibus coquit in vasis aureis, et argenteis. Ea omnia nemo alius, quam femina illi præ aliis dilecta, subministrat; eo mense carne, et pisce abstinet. Eo tempore facit solemnem supplicationem, sive sumque Præceptorem in feretro jubet ferri, in alio feruntur ejus crepide, ante quas Rex thuribulo in manus sumpto per totam urbem incensum adolet. Neque hic solum suum Magistrum Rex extollit, sed quoties intrat, et exit palatium regium, à viris gestatur in humeris ceu idolus; et Brachmanes tenentur eum semper incenso colere. Unde ita elatus est Magister, ut se pro Deo haberet, ac Regi indignaretur, quod ante mortem ei promitteret, in signum grati animi procuraturum non solum orationes, opera pia, sed solemnes etiam exequias; se enim, cum Deus sit, precibus non egere. Nihilominus Rex mortuo habuit solemnes exequias, qui ipse ab una civitate digressus in aliam venit, scilicet Tangeor, ut illic anniversarium ejus celebraret. *HYAC. de Magistris in relat. regni Madure.*

Sequi dominum, mercede dignum.

Vir nobilis plures annos servum habuit; quem tandem sine culpa prope nudum dimisit. Delatus ad judicem, deque injuria justulatus, cum diceret, servum sibi nihil aliud præstitisse, nisi quod sibi a pedibus fuisset, idque per sex annos, nec aliud laborasse,

tum lata est a judice sententia. Si nihil putaret obsequii famulum sex annis præstitisse, herum sequendo, ipse quoque per totidem annos post famulum iret; aut justam illi mercedem persolveret, quam illico præstitit. *ENGELG. in festo Circumcis. §. 4.*

Fur a mortuo fugatus.

In Suevia nostro ævo fur mortui jam effrendi tumbam subibat, cadaver vero ipsum in angulum abjecit, ut furari liberius valeret. Cumque alii putarent, se mortuum efferre, vivum extulerunt: qui dum se in tumba movet, omnes a se terrore illo fugat. Inde egressus fur, cum dilapsis omnibus se videret posse furtis impune vacare, videt repente in angulo abjectum cadaver se movere; quo viso fur territus, dum per domum, et publicam plateam fugit, omnibus inspectantibus, eum cadaver, ut erat involutum, tam citato cursu insequitur; ut extra urbem uterque egressus, nullo deinceps vestigio, ac indicio poterit deprehendi. *P. SCHIRMBEK. tom. III. notat.*

Adulatorum ineptia.

Dionysius junior, et ipse habuit adultores. Hi simulabant, se non acute videre inter conandum, quia Rex non erat perspicax, cibosque appositos palpabant, quasi non videntes, donec Dionysius manus in lances porrexisset. Cumque sæpe esset spure solitus, faciem suam, ut conspueretur, porrigebant, sputumque ejus, ac vomitum lambentes, melle dulcius esse dicebant. *ATHENEUS, l. VI. c. VI.*

Alexander M. certando in potu mortuus.

Alexander M. Rex certans poculis, cum certaret cum Prothea quem ante provocaverat, postea provocatus ab eodem, egregie quidem bibit, non tamen ferre potuit, sed poculo e manibus demisso in pulvinar decubuit, qua ex re mortuus est. Plurimum bibebat Alexander, ut ob temulentiam sæpius duos dies dormiret, ac duas noctes. *Id. l. X. c. XII.*

Casus docuit aqua vinum miscere.

Cum vitis in Græciam a Baccho e mari rubro fuisset allata, et multi meraco vino immodice usi insanirent, et capite postea laborarent, casus eos docuit vinum temperare. Cum enim aliquando sub dio biberet imber ingruens convivium dissolvit, craterem vero exiguum, in quo aliquid vini supererat, relictum aqua implevit. Serenitate reversa etiam ipsi reversi, vinumque mixtum gustantes didicere sine noxa capitis mixtum vinum bibere. Hinc post conam primum poculum Jovi servatori, qui ita depluit, consecrare solent. *Id. l. XV. c. II.*

Libri monitores Principum.

Demetrius Phalareus Ptolomæum Regem hortabatur, ut libros de regno scriptos emeret, ac legeret; nam de quibus amici Reges admonere non audebant, esse ea in libris scripta, nec Regum odia timere. *STOBÆUS, c. XLVIII.*

Fortitudo filii.

Italico bello Pinensis juvenis, qui Pluto dicebatur, cum obsessæ urbis claustris præsideret, et Romanus Imperator patrem ejus captivum, in conspectu ejus constitutum, strictis gladiis militum circumdedisset, occisurum se minitans, nisi iter irruptioni sue præbuisset, solus e manibus senem rapuit. *VAL. MAX. l. V. c. IV.*

Solatio miseris socios habere.

Solon Atheniensis, cum ex amicis quemdam graviter moerentem videret, in arcem produxit, hortatusque est, ut per omnes subjectarum ædium partes oculos circumferret; inquit ubi alter fecit: « Cogita nunc illoquit, quam multi luctus sub his tectis et olim fuerint, hodieque versentur, et post sint futuri, et desine posthac mortuum incommoda tanquam propria delere. » *VAL. MAX. t. I. c. II.*

Delusus a picture.

Quidam a picture in Bacchanalibus jubebat faciem suam ridicule pingi. Pinxit, et hominem sibi in speculo ostendit absoluta pictura; tum velut aliquid emendaturus, colores omnes iterum diluto penicillo absterisit. Sic alter ceu ignotus multa in plateis stultitiæ documenta dedit, mirantibus, qui eum spectabant, hominem passim notum ita insanire. Detecto dein errore, ita erubuit, ut graviter ægrotaret. SCHIRMBEK, tom. not. prof.

Famuli crudelitas punita.

Viennæ famulus pistoris clam heri domum ingressus, noctu servum, ancillam, conjugem interfecit; cum autem etiam ad filiolam accederet, illa rogavit, ac dixit: « Mi Paule, vitam mihi condona, omnes meas puppas tibi dabo. » Quam tamen interfecit. Is retractus Ratisbona, demum Viennam, excruciatu tormentis gravissimis, omnium tormentorum vim excedere dicebat horrorem, quo concuteretur, si vocis supplicis puellulæ meminisset. Idem.

Apprehensio quam potens et nociva.

Cardinali cuidam cum medici dixissent, eum melancholia moriturum, nisi se ipsum excitaret, ac ille negaret, fieri posse, ut quis ex sola apprehensione et melancholia moretur: ut id ei medici ostenderent, hominem mortis reum a Magistrato sibi traditum jusserunt ad mortem se parare; venæ enim sectione et fluxu sanguinis eum perimendum. Contendebant enim coram eo, ceu inter se coram Cardinali dissererent, hominem; si ultra sexdecim uncias sanguinis profunderet, mori debere. Igitur velatis rei oculis, simulant se illius venam incidere, et e gutturio aquam sinunt in subjectam pelvim deluere, eam sanguis ejus esset, ac uncias numerabant singulas. Ubi ultra sexdecim numeraverunt, reus præ apprehensione mortuus est, et Cardinalis curatus. Idem.

Somniorum mira efficacia.

Nostra ætate Tornaci in Belgio homo rudis

natandi, noctu solitus ambulare in somnis, etiam in Scaldim fluvium descendit, dormiensque totum flumen sæpius tranavit. Vidit natantem aliquis, et obstupescens, nomine compellavit. At ille mox vigil, lapidis instar submergitur. Idem.

Mulier quadraginta annis in Ordine Minorum vivens.

In Polonia femina clam virum mentita jam quadraginta annis apud Franciscanos, ceu Religiosus exegerat; cum quidam e abraso semper mento suspicatus, quod erat, femine in faciem dixit, sibi persuasum esse, eam feminam esse. Re dein delata ad Superiores fassa est, quod erat. Tunc religiosarum Monialium habitu induta, ejusdem Ordinis solemnī deductione ad Monialium monasterium fuit translata. Idem.

Viri et vacca nati.

Fuit adhuc anno 1646. in vivis ad lacum Ætonianum vir probus, qui fuit et vacca natus: nunquam visus est ridere; cum rogaretur causam mœroris, cum gemitu respondit, meminisse, se unde sit natus, quæ recordatio ridere prohibeat. Alibi quoque Monachus et vacca natus, ceteroqui prudens, nisi quod singulis mensibus cœto tempore furore correptus, in horto manibus pedibusque reptans, gramen instar vaccæ carperet. Idem.

Filiæ miserabilis casus.

Anno 1650. Mense Februar. prope Ingolstadtium hospita filiam Ingolstadtium misit panes emptum, et pecuniam puellæ oronibus intexit, adversus prædones, videntibus in duobus militibus, qui illic jam familiares, tunc iterum diverterant. Cumque puella in itinere esset, milites illi puellam insecuri, caput ei præciderunt, ac sacco iniecerunt. Eos mox alii tres equites adorti quæruunt, quid ferant; cumque illi dicerent, caput vituli se ferre, ac illis pretium offerentibus, negarent illi, caput id sibi venale esse, equites vii saccum eis eripuerunt; et mox ad hospitium delati, cum putarent, caput vitulinum se habere, matrem familias coquere id jusserunt. Sed

mater mox aperto sacco cognovit filiam suam esse. Idem.

Mulier mirabiliter a morte liberata.

Æque recens est, quod prope Viennam Austriæ contigit. Erant illi tres latrones infames diu impune grassati, quorum scelus detexit, et punivit. Molitor dives, sed uxoris prægnantis pertæsus, eam jussit in crastinum secum in sylvam secedere, se muliebrium filiorum saturum ferre in domo eam amplius nolle. Illa tristis et male sibi metuens, fratri, qui venator erat, rem aperit, a quo animata, jussaque est cras maritum sequi, sibi vitam ejus cordi fore. Mane altero molitor uxorem in sylvam tribus latronibus, ut emptam sistit, pretiumque postulat, si puellam et prægnantem excindant, 800. florenos; si puellam, 300. numerari jubet. Illi adhuc incerti, quid utero femina ferret, puellæ pretium persolvunt, si puer esset, reliquum addituri. Ita misso molitore latrones nudata muliere, in eam cultros acunt, prius alarum jactu periclitati sortem, quis primus manum admoveat. Interim frater in peregrina veste sororem latenter secutus viso discrimine, latronem primum sternit, alterum altero sclopeto graviter sauciat, tertioque dilapso sororem aligatam arbori exsolvit, ac lento passu redire domum jubet. Ipse præviis ad molitoris ædes, eum reperit pretium paricidale numerantem percontatusque, ubinam soror esset, altero nescire absentiae causam fingente, inde ad Magistratum properat, et rem ei totam enarrat. Tum molitor in vincula conjectus capitis damnatur. Postridie uxor gemellos parvulos enixa est. Idem.

Humanitas legati Moscovitici.

Anno 1662. Londini in Angliæ ægrotanti legato Moscovitico Rex Carolus II. unum ex aulicis misit, qui eum suo nomine salutaret ac solaretur; se, nisi convalesceret, ipsum ad eum venturum. Tum legatus: « Si, inquit, in sinu Abrahæ forem, inde Regi occurrerem, ne ad me veniret, et tantam humanitatem deprecarer. » Idem.

Fur liberatus, et iterum suspensus.

His annis in Germania quidam fuit ob

furta suspensus, qui, cum prætereunte rustico videretur adhuc moveri ac vivere, rusticus commiseratione tactus, funem præcidit, et miserum currui imponit, ut inibi se colligat; fur jam restitutus sibi a curru desiliit, et alio pergat, actis gratius. Interim noctu observat, ubi cum curru et equis rusticus diverterat, et clam stabulum ingressus servatori suo equos auferit. Rusticus mane equos juncturus currui, cum non reperiret, aliis equis conductis suos inquirat, et in via intelligit, duos equos ab aliquo non procul fuisse abductos; insequitur igitur et assequitur furem, ac retractum reducit ad patibulum, et eodem loco, unde liberavit heri, denuo suspendit, et occidit. *Ex litteris.*

Suspendi malens, quam vivere.

Circa annum 1633. cum Serenissimus Elector Maximilianus Brunovii esset, fuit rusticus quidam ob furta suspendendus, cui cum in scala fatali jam stanti munitaretur, vitæ ei gratiam fieri, nihil inde gavisus, se cum aiebat: « Operose scalam ascendi, nec si vivere porro velim, laboriose descendendum erit. » Postea primum ad tormenta hellica vehenda condemnatus (hoc ei in penæ locum injungebatur), nolens militiam sequi, jussit se suspendi, recusata vitæ gratia. SCHIRMBEK, to. III. notat.

Medicus per eclipysin ditatus.

P. Henricus Rot in Mogore medicum novit, Gallum gente, qui erat Regi ob artis peritiam gratus. Is, quia sciebat, Regem cum tota gente superstitione eclipyses observare, ac ut fatales metuere, Regi in proximam eclipysin suasit, ut purpura se optima indueret, ac totum se auro ac gemmis oneraret; ita enim pestem eclipysin omnem vesti, auro et gemmis adhasuram. Audiit Rex momentem, evasit lætus eclipysis, quam timuit, malignitatem. Tum primum Rex dubitare cœpit, quid sibi cum pretiosa veste, et tot gemmis agendum esset, utpote celestis veneno afflatus, ut putabat. Medicus autem ei suasit, omnia esse abjicienda, ac certe ut Rex ea sibi donaret, ut jam inutilia. Ita medicus ditatus est omni illa auri, et gemmarum copia; ac præterea, quod tam sana suasisset, tria millia ducatorum a Rege acce-